

- spiritualis, ex indigentia;
26. tum *fiducia*, ex applicatione, quasi manducatione spirituali:
27. ex utraque *paupertas* seu *humilitas*, quâ *superbia*, & consequenter *omnis peccati dominium* necessario subruatur.
28. Haftenus ad minimum, ut non timeamus eos, qui occidunt corpus animam autem non possunt occidere: sed *timeamus magis eum qui potest & animum & corpus perdere in gehennâ*:
29. ac proinde *ex corde dimittamus debita proximo*; quemadmodum & nobis cupimus dimitti à Domino.
30. Tanto verò *perfectior* est fides, quanto magis non *timorem tantum* secundum Deum, sed & *pacem ac gaudium* operatur in Domino.
31. Unde fideles i. *in statu timoris*, similitudinem habent cum discipulis Domini *in passione*, & cum fidelibus *sub lege Moysis*.